41

INFORMATIO DE LIBRO R. P. F. HENRICI DE NORIS, AUGUSTINIANI, &c.

CUI TITULUS EST: HISTORIA PELAGIANA,

DISSERTATIO HISTORICA DE SYNODO quinta, Vindiciæ Auguſtinianæ.

AD CENSORES LIBRI HUJUS NUPER à ſummo *PONTIFICE DELECTOS.*

AB UNO THEOLOGO PARISIENSI.

BIBLIOTECA NAZIONALE FIRENZE 1872

735. 1-6

REVERENDISSIMI PATRES,

Venit his proximè elapſis diebus in Galliam nuncius Reverendiſſimum Patrem Henricum de Noris cupidiſſimè expetiiſſe ut ſuus liber de *Hiſtoria Pelagiana*, cui adjunctæ ſunt *Diſſertatio hiſtorica de Synodo quinta, & Vindiciæ Auguſtinianæ*, recognoſ-

ceretur à plurimis Cenſoribus, ad hoc munus ſpeciali Sedis Apoſtolicæ mandato delectis.: eapropter à ſummo Pontifice vos quinque fuiſſe delectos omni doctrinæ ac virtutum laude præſtantes Theologos. Placuit nuncius viris cordatis. Cum enim liber iſte jam dudum venerit in ſuſpicionem erroris, exiſtimatus eſt Noritius fungi officium hominis apprimè catholici, qui labem hanc jure an injuria ſibi aſperſam ſuſtinere haud queat, in eo præſertim munere quod nunc gerit: ne ſcilicet Chriſti Vicarius doctrinæ ſuſpectæ Theologum exornaſſe credatur. Nec verò pœnitere illum debet ſui conſilii. Obtinuit, ut audivimus, Cenſores quinque, omnes benevolos, omnes erga doctrinam Auguſtini, quam defendere ſe profitetur, in primis affectos; atque in his tres Thomiſticæ ſcholæ, pro cujus dogmatis invidiam ſe pati queritur, ſectatores acvindices oppidò ſtrenuos.

Non propterea diffidimus, æquiſſimi Cenſores, de eventu cauſæ hujus. Imo facit eximia de veſtra integritate expectatio, ut nonnullas Informationes tranſmittere non pigeat, ad earum normam quæ in ſimili prorſus negotio, dum Janſenii liber examinaretur, tam gratæ, tam probatæ fuerunt doctiſſimis illis ab Apoſtolicâ pariter Sede delectis Cenſoribus, quorum *memoria in benedictione eſt.* [Informatio de v. Propoſit. auth. Fr. Annato.] Optatiſſimum quippe debet vobis eſſe ut ex ipſis, qui præcipuè Noritii libro commoti ſunt, Ultramontanis Theologis intelligatis quid eos tandem offendat.

Idcirco lectis accuratè plurimorum è noſtra Pariſienſi Facultate Doctorum animadverſionibus eas excerpſi & affero, non quæ hiſtoricam ad eruditionem pertineat, ſed quæ ad integritatē Catholicæ veritatis. Ut quid enim Noritio tam ingenuè ſe habenti, moleſtus eſſe velim? Erraverit ſanè, ut errare cuique pronū, in recenſendis hiſtoriæ monumentis, parum eſt, neque ob eam rem judicium inſtituitur, quæſtio de doctrinâ movetur, deque iis quæ cum doctrinâ connexa ſunt.

Capita ſingula ſingulis Epiſtolis comprehendam, ne videar volumen ſcripſiſſe.

§. I.

Exponitur doctrina Noritii.

ANgit nos primùm ac præcipuè Noritii cum Janſenio affinitas tanta, ut dogma unius necdum poſſimus diſcernere ab alterius dogmate. Rem claré propono.

Docet Noritius hæc quinque.

1. Tranſgreſſorem legis reum eſſe peccati tametſi negata fuerit ipſi gratia proximè ſufficiens qua poſſet exequi mandatum.

2. Tali auxilio proximè ſufficiente privari, etiam juſtos, tum cum urget obſervatio alicujus mandati, quod non poteſt impleri ſine gratiâ.

3. Vi talis privationis contingere ut reprobus, etiam poſtquam juſtificatus fuit, perſeverare non poſſit in acceptâ juſtitiâ.

4. Remanere tunc in eo, velut in ſingulis peccatoribus fidelibus, infidelibuſque, ſolam obſervandæ legis potentiam remotam, quæ ut in proximam mutetur, penes eos non eſt, Deo remotam ſolùm dante, proximam non offerente.

5. Privationem ejuſmodi nullius plerúmque actualis peccati pœnam eſſe, ſed originalis ſolius.

Noritii verba ſuper unoquoque articulo in promptu ſunt ex *Vindiciis* petita. Numerabo paginas Editionis Patavinæ anni 1673.

I.

Tranſgreſſorem legis reum eſſe peccati, tametſi negata fuerit ipſi gratia proximè ſufficiens qua poſſet exequi mandatum.

VERBA NORITII.

Lex non infert potentiam proximam volunta-

„ tis faciendi quod jubetur, & ex conſequenti non
„ habet annexam gratiam proximè ſufficientem ad
„ faciendum opus imperatum. pag. 89.

„ Ex his colligitur quomodo Infideles peccent
„ non obſervando legem, quandoquidem *ſine fide*
„ manent tantùm ſub lege præcipiente, non ſub
„ gratiâ proximè adjuvante. pag. 90.

„ Etenim licet quis ſit *fidelis* non habet ſingulis
„ momentis præſens auxilium proximè ſufficiens
„ ad orandum. pag. 89.

„ Oſtendimus non duriùs loqui (Auguſtinum)
„ qui aſſerat in hypotheſi quòd lex ſola jubeat, nec
„ gratia proximè ſufficiens adſit; legem eandem
„ obligare, & tranſgreſſorem reum eſſe peccati. p. 91.

„ Unde opera quæ Infideles faciunt, ſunt ſemper
„ peccata. p. 90.

II.

Tali auxilio proximè ſufficiente privari etiam Juſtos, tum cum urget obſervatio alicujus mandati, quod non poteſt impleri ſine gratiâ.

VERBA NORITII.

„ Aſſerimus Deum immediatè damnare pœnâ æter-
„ nâ hominem ob *peccata actualia* in quæ incidit
„ ob *impotentiam* perſeverandi, ſeu ob privationem
„ potentiæ proximè expeditæ ad perſeverandum,
„ quæ eſt pœna humanæ naturæ relicta ad ago-
„ nem. pag. 137.

„ Ipſe & ſibi & toti generi humano ſubſecuto ta-
„ lis *potentiæ* privationem intulit (Adamus) cujus oc-
„ caſione *tanta crimina committuntur*. p. 136. 137.

„ Homo enim juſtificatus, ſi tentatione gravi
„ pulſetur & ſtet ſub *privatione potentiæ* proximè
„ expeditæ ad perſeverandum, infallibiliter ſuc-
„ cumbet, ni Deus *ſpeciali* auxilio donet *vim* perſe-
„ verandi: quod auxiliū cum ex primo peccato non
„ debeatur homini, juſtè à Deo negari poteſt. p. 134.

III.

Vi talis privationis contingere ut reprobus etiam

poſtquam juſtificatus fuit, perſeverare non poſſit in acceptâ juſtitiâ.

VERBA NORITII.

Præter ea quæ lecta ſunt ſuperiore articulo duos expedit hîc adjici Noritii textus, quibus magis mentem ſuam exponit.

Objiciunt plures, qui licet peccatum originale " in iis quibus non eſt remiſſum, concedant eſſe " ſufficiens motivum reprobationis, in baptiſatis ta-" men id nullo modo dici poſſe exiſtimant. Hoc ar-" gumentum pariter Semi-pelagiani contra ſanctum" Auguſtinum adducebant... Reſpondeo peccatum " originale intuliſſe pœnas proprias ipſius naturæ, &" has per baptiſmum non remitti, quarum præcipuæ" ſunt concupiſcentia, & privatio *potentiæ* proximè " expeditæ ad perſeverandum in acceptâ juſtitiâ: & " ſic *nihil damnationis* remanet in baptiſato, *prout* " *damnatio* culpam ſignificat, non verò prout dicit " pœnam, pag. 137. "

Catholicum eſt dicere ſecundum Patres Africa-" nos Eſaü originali peccato detentum juſto judi-" cio Dei odio eſſe habitum. At Eſaü non eſt de-" tentus originali peccato ſecundum reatum. p. 134. "

IV.

Remanere tunc in eo, ſicut & in ſingulis peccatoribus, fidelibus infidelibuſque ſolam obſervandæ legis potentiam remotam; quæ ut in proximam mutetur penes eos non eſt, Deo ſolam remotam dante, proximam non offerente.

VERBA NORITII.

Homo ex peccato originali incidit in privatio-" nem gratiæ ſanctificantis, & in *privationem po-*" *tentiæ* proximè expeditæ ad perſeverandum in " ſemel acceptâ gratiâ juſtificante: quæ privationes " cum reſpiciant diverſas formas, diverſæ etiam " ſunt inter ſe, & una ſine alterâ donari à Deo po-" teſt. pag. 132. 133. "

De auxiliis remotis locutum arbitror eundem "

„ ſanctum Doctorem in libro de Dono perſeveran-
„ tiæ c. 9. ubi ait, *ex duobus ætate jam grandibus*
„ *impiis cur iſte ita vocetur, ut vocantem ſequatur,*
„ *ille autem, aut non vocetur ut vocantem ſequatur,*
„ *aut non ita vocetur ut vocantem ſequatur, inſcru-*
„ *tabilia ſunt judicia Dei.* Vocatio illius qui non ſe-
„ quitur, eſt per auxilium debile & remotum. p. 92.
„ Itaque cum Auguſtinus gratiam dicit movere
„ indeclinabiliter, de congruâ & efficaci accipiendus
„ eſt: at cum cuidam gratiæ noſtram libertatem
„ reſiſtere tradit, de alterâ gratiæ ſpecie debili, in-
„ congruâ, & remotè ſufficienti loquitur. p. 18.
„ Idem eſt quod dicebam, ſubjiſſe nos *privationem*
„ *potentiæ* proximè expeditæ ad perſeverandum,
„ quæ non aufertur niſi *ſpeciali* auxilio Dei. p. 134.

Illud verò auxilium *ſpeciale* ideſt *efficax* ſupra declaravit paſſim non eſſe in noſtra poteſtate: præſertim ubi dicit impotentiam legis obſervandæ propter gratiæ defectum, minimè excuſare, cum orta ſit ex peccato originali.

V.

Privationem ejuſmodi nullius plerumque actualis peccati pœnam eſſe, ſed originalis ſolius.

VERBA NORITII.

Relata jam ſunt in hanc ſententiam verba quàm plurima: addo tamen alia.

„ Per gratiam ſanctificantem non tollitur ipſa
„ privatio potentiæ proximè expeditæ ad perſeve-
„ randum. Hæc verò privatio eſt in pœnam *primi*
„ *peccati.* pag. 132. 133.
„ Nam baptiſatus cum primùm lethaliter pecca-
„ vit, caruit dono perſeverantiæ in bono ſemel
„ accepto: ergo in pœnam peccati originalis fuit
„ à Deo denegatum.

Nota de induſtriâ hîc confundi *Donum perſeverantiæ finalis* quæ eſt gratia bonæ & opportunæ mortis in domino, *cum potentiâ* perſeverandi in juſtitia per auxilium ſufficiens ad hoc, quod nunc

urget, præceptum adimplendum.

Nam, ut ſupra inferebam, permiſſio primi peccati" actualis fit juſto judicio Dei negantis donum per- " ſeverantiæ in bono juſtitiæ per baptiſmum acce- " ptæ. At ex Auguſtino illud donum negatur in " pœnam peccati : non actualis (nam de primo " actuali loquor) ergo in pœnam originalis. p. 134. "

Igitur præcipuæ pœnæ relictæ ex peccato ori- " ginali ſunt concupiſcentia & *privatio potentia* " proximè expeditæ ad perſeverandum. *ibid.* "

Hinc quæcumque contra hanc privationem ob-" jici ſolent, eodem prorſus modo ſolvenda ſunt ac " illa quæ contra pœnalitatem concupiſcentiæ Pe- " lagiani Auguſtino olim opponebant. pag. 135. "

§. II.

Explicatur magis iſta Noritii doctrina.

MInimè reprehendi poſſet Noritius, ſi præcisè contenderet aliquos peccare tranſgrediendo legem, licet ad eam ſervandam, non actu receperint auxilium proximè ſufficiens. Id enim verum eſt de pluribus, non ſolùm Infidelibus, ſed etiam fidelibus, imo & de juſtis, & ideo ſancta Sedes Apoſtolica hæreticam declaravit Janſenii propoſitionem primam non quia ſimpliciter aſſerit *aliqua Dei præcepta juſtis &c. eſſe impoſſibilia*, ſed quia addit, *deeſſe quoque gratiam quâ poſſibilia fiant.*

At idem planè docet Noritius : ſiquidem gratiam proximè ſufficientem quâ mandata verè & immediatè poſſibilia fiant, non tantùm vult aliquando non recipi, ſed verè & propriè à Deo negari, adeo ut Juſtus urgente mandato neque gratiam proximè ſufficientem habeat, neque modum illius obtinendæ.

Nimirum ſic expreſsè aſſerit verbis toties ab eo repetitis, *Privatio potentiæ proximè expedita ad perſeverandum ſtat cum gratiâ ſanctificante : Privatio*

hujus tam magni beneficii cauſa eſt damnationis illativa. In peccata actualia incidit homo ob privationem potentiæ proximè expeditæ ad perſeverandum: Dicebam ſubjiſſe nos privationem potentiæ proximè expeditæ. Infinitus ſim ſi aggrediar recenſere textus omnes ubi ab eo aſſeritur hominem privari potentiâ proximè expeditâ, gratiâ proximè ſufficiente. At enim quomodo privari diceretur ſi Deus eam offerret, ſi penes hominem eſſet eam obtinere. Neque enim privamur eo omni quod abeſt, ſed eo quod volumus nec poſſumus habere: atque hoc ut verum non eſſet de cæteris privationibus, certè *privatio gratiæ* nunquam intellecta fuit niſi de eo, cui nolit Deus illam conferre, nec de ullo ſumitur pro qualibet gratiæ abſentiâ, ſed pro abſentia cum impotentia obtinendi. Velut *privari* luce dicitur, non quicumque eam non videt, ſed qui nec videt, nec videre poteſt. Nam qui lubens volenſque claudit oculos lucente ſole is *privari* luce non dicitur, quia penes eum eſt ut aſpiciat. Ille itaque ſolus dicitur *privari* auxilio proximè ſufficiente penes quem non eſt illud obtinere.

Id clariùs adhuc patet ex ratione quam Noritius affert privationis hujus. Si enim penes hominem ſaltem Juſtum fuit obtinere auxilium proximè ſufficiens, cur ad peccatum originale, non verò ad peccatoris negligentiam recurritur ut gratia probetur non injuſtè, ſed meritò ſubtracta; imo cur diſertè aſſeritur, citra ullam perſonalem Juſti culpam talem privationem incurri, & ex illa peccatum?

Apertè itaque docet Noritius juſtum urgente mandato neque gratiam habere proximè ſufficientem, neque modum hujus obtinendæ. Hæc verò doctrina eſt quæ grave nobis ſcandalum affert.

NORITII SENSUS DE GRATIA remotè ſufficienti.

Verùm, inquies, admittit Noritius potentiam remotam, auxilium remotè ſufficiens.

Admittit ſanè, at quale Janſenius, non quale Orthodoxi. Hi quippe remotam ac mediatam vincendæ tentationis potentiam apellant, quæ ſit proxima, & immediata potentia ſive orandi, ſive jejunandi, aut cujuſcumque alterius actus exercendi, qui ſit idoneus ad obtinendum infallibiliter auxilium proximè ſufficiens. Et hanc quam uno nomine dicunt, puta orationis gratiam, idcirco appellant remotam ac mediatam reſpectu finis, ſeu tentationis vincendæ, quia eſt proxima reſpectu medii ad hunc finem conducentis, id eſt reſpectu orationis, quâ mediante obtineretur proxima & immediata poteſtas vincendæ tentationis.

Hæc cũ certa ſint apud omnes cujuſcumque ſcholæ Catholicos Doctores, adeo tamen diſtant à Noritiano dogmate, ut directè oppoſita ipſe contendat.

Ac primò negat Infidelibus adeſſe gratiam orationis aut ullum modum impetrandi auxilii proximè ſufficientis, neque enim ullum agnoſcit ſeclusâ fide, quâ illi carent, vult tamen eos non excuſari, quia *habent*, inquit, *auxilia quædam remota*. p. 89. 90.

Ecce per auxilia remota negat intelligi à ſe gratiam proximè ſufficientem ſive ad orandum, ſive ad impetrandum auxilium immediatè ſufficiens obſervandæ legi.

Igitur quidquid intelligat per gratiam quam ipſi appellare libuit remotè ſufficientem, aliud planè intelligit ac Catholici Doctores. Dicit nihilominus per ſuam illam gratiam remotè ſufficientem inexcuſabiles reddi tranſgreſſiones legis; quod ſi verum eſt, valet perinde ſive in Infidelibus, ſive in Fidelibus & juſtis, cum una ſit quantum ad hoc omnium ratio. Imo eodem in loco Noritius juſtos, quos habere contendit *gratiam illam ſuam remotè ſufficientem*, dicit, *non habere in ſingulis momentis præſens auxilium proximè ſufficiens ad orandum*, quod quidem verum eſt de momentis quibus præceptum non urget, at hic erat quæſtio de præcepto urgente. Hoc itaque rurſus loco innuit nolle ſe per gratiam

remotè ſufficientem, ſeu fidelibus, ſeu Infidelibus conceſſam intelligi gratiam ad orandum proximè ſufficientem, per quam obtineri poſſit auxilium proximè & immediatè ſufficiens tentationi vincendæ.

Præterea gratiam cui reſiſtitur declarat eſſe duntaxat remotè ſufficientem: quibus verbis apertè demonſtrat Juſtos qui urgente tentatione orare negligunt, non habere gratiam proximè ſufficientem ad orandum ſicut oportet: ſi enim haberent, non ei reſiſterent, ut ipſe contendit, orarent ergo & exaudirentur, ſicque non deeſſet illis auxilium proximè ſufficiens vincendæ tentationi, at non orant, unde nec habent auxilium proximè ſufficiens ad orãdum.

Tertiò dicit hominem baptiſatum cum primùm peccavit caruiſſe potentia proximè expedita ad perſeverandum; at quandonam primùm peccavit, niſi quando tentatione preſſus ad Deum non recurrit, ſiquidem tunc maximè urgebat præceptum orationis? Quæro igitur de Noritio eratne tunc juſtus ille præditus potentiâ proximè expeditâ ad orandum? Dicere non poteſt, quin directè pugnet contra ſuam Theſim; adeo manifeſtè excludit ab homine gratiam orationis, & aliam omnem per quam proximè poſſit pervenire ad auxilium immediatè ſufficiens tentationis vincendæ.

Quartò ſi nomine auxilii remoti Noritius intelligeret gratiam proximè ſufficientem ad orandum, vel ad agendum id ex quo infallibiliter ſequatur collatio auxilii immediatè ſufficientis, cur & quomodo paſſim docet Juſtum, de quo ſermo nunc eſt, privari potentiâ proximè expeditâ ad perſeverandum, privari verò in pœnam non actualis peccati ullius, ſed originalis duntaxat? Neque enim, ut jam fusè demonſtratum eſt privari homo dicitur ea re quam in ejus poteſtate eſt habere. Et idcirco de tot Catholicis Doctoribus qui negant auxilium proximè ſufficiens conferri cuilibet tranſgreſſori legis, nullus à me inventus eſt qui talem abſentiam ap-

pellaret privationem: ſiquidem, inquiunt, penes eum fuit, ut haberet, niſi forte quando dicunt privari hominem auxilio hic & nunc neceſſario in pœnam alicujus actualis peccati præcedentis, puta homo urgente tentatione privatur gratia, quia orare neglexit. At non ita Noritius, imo expreſsè vult Juſtum ſufficienti gratiâ & poteſtate proximè expedita privari, non propter ullam præcedentem culpam, ſed propter ſolum originale peccatum, quantumlibet jam remiſſum. Quibus verbis clarè docet de tali juſto dici non poſſe quod orare neglexerit, quod non benè uſus ſit poteſtate remotâ, quod aliquâ perſonali culpâ ſemetipſum privaverit auxilio immediato. Idem planè eſt ac ſi dicat Noritius Iuſto huic non tantùm defuiſſe gratiam reſiſtendi, ſed & omnem gratiam orandi ut oportet. Ut quid enim ſi gratiam orandi accepit, non propter orandi negligentiam, ſed propter originale peccatum ſolum privari dicitur auxilio proximè ſufficiente, ut quid ad originale jam condonatum recurritur modo tam novo & Catholicis exoſo.

Fac Noritius, cupio enim illum nihil niſi Catholicum ſenſiſſe, gratiam remotam eodem modo intelligat ac reliqui orthodoxi, quare ne verbo quidem oſtendit id quod tantoperè ad rem præſentem pertinebat, quodque Orthodoxi ſcriptores ad unum omnes tam amplè, tam ſollicitè in præſenti argumento demonſtrant, juſtum hunc non quidem habuiſſe vincendæ tentationis potentiam proximam, ſed habuiſſe proximam orandi vel agendi aliquid aliud ex quo infallibiliter ſecutura fuiſſet potentia proxima vincendæ tentationis, proindeque ſuâ propriâ negligentiâ privari tali auxilio quod ſibi à Deo præparatum fuerat, penes eum fuiſſe ut illud obtineret &c. vel ſilere de his, præſertim hoc tempore, ſcandali plena res eſt, at non ſilet modo Noritius: docet planè contraria, hæc duo ſcilicet quibus ſua omnis ſuperiùs explicata doctrina cõtinetur.

1. Gratiam, ſicui reſiſtit quiſquis mandatum tranſgreditur, eſſe tantum remotè ſufficientem.
2. Proximè ſufficientẽ negari à Deo, & negari præcisè propter Adami peccatũ quantumlibet jam remiſſum.

Non aliud putaverat Antonius Arnaldus quando noſtræ Facultatis Judicio doctrina illius hæretica appellata eſt, & ipſe quod eã retractare nollet à ſacra Facultate ejectus, ac ejus ſcripta in defenſionem talis doctrinæ à Sancta Sede damnata ſunt: quippe ubi ſemel negas auxilium quodvis proximè ſufficiens ab efficaci diſtinctum, ſimul negas Juſto, quoties cadit, adeſſe auxilium proximè ſufficiens etiam ad orandum, quæ eſt prima è damnatis Janſenii propoſitionibus. Ea propter tantâ ſolemnitate à nobis proſcriptus eſt Arnaldus, cujus proſcriptioni Baccalaurei omnes hodieque ſubſcribere jubentur.

Noritius porrò ejuſdem eſſe ſententiæ, neque ullum prorſus agnoſcere auxilium proximè ſufficiens ab efficaci diſtinctum, vel eo rurſus patet; quòd gratiæ efficaci ſolam opponit *remotè* ſufficientem. Repeto ipſius verba.

» Cum Auguſtinus gratiam dicit movere indecli-
» nabiliter, de congruâ & efficaci accipiendus eſt. At
» cum cuidam gratiæ noſtram libertatem reſiſtere
» tradit, de altera gratiæ ſpecie debili & incongrua,
» & remotè ſufficienti loquitur.

» Notanda ſunt hæc verba, *cum cuidam gratiæ,*
» *noſtram libertatem reſiſtere tradit, de alterâ gratiæ*
» *ſpecie debili, incongruâ & remotè ſufficienti loqui-*
» *tur*. Qui enim dicit nomine *gratiæ cui reſiſtitur*
» intelligi debere *gratiam remotè ſufficientem*; idem
» prorſus eſt ac ſi neget proximè ſufficienti quem-
» quam reſiſtere: idem eſt ac ſi dicat nullam eſſe
» proximè ſufficientem quæ non ſit efficax.

Id verò multò adhuc clariùs patet ex hoc quod alibi adjungit, nempe Juſtum eo ipſo quod *ſpeciali*, hoc eſt *efficaci* auxilio deſtituitur remanere *privatum potentiâ proximè expeditâ* ad reſiſtendum ten-

-tationi, eamque privationem eſſe *pœnam originalis peccati* quantumlibet jam remiſſi.

Homo enim juſtificatus, ſi tentatione gravi pul- " ſetur, & ſtet ſub privatione potentiæ proximè ex- " peditæ ad perſeverandum, infallibiliter ſuccumbet, " niſi Deus *ſpeciali* auxilio donet vim perſeverandi, " quod auxilium, cum ex primo peccato non debea- " tur homini, juſtè à Deo negari poteſt. p. 134. "

Hæc ſunt ſi Noritio credimus ipſa Auguſtini dogmata ſemipelagianis primùm, nunc quibuſdam recentioribus exoſa; interim tamen Eccleſiæ totius oraculo conſecrata, quippe quæ fideles ad Auguſtinum remittat in quæſtionibus de gratia.

Utrum Janſenio potior Interpres Auguſtini fuerit Noritius, judicari poteſt ex teſtimonio Scholæ Thomiſticæ, cujus Doctores minimè debent eſſe ſuſpecti.

§. III.

Quid ſentiant Celeberrimi Scholæ Thomiſticæ Doctores de præſenti doctrina.

Huic judicio debet præire diſquiſitio duplex. 1. quid intelligant Thomiſtæ nomine gratiæ præſentis. 2. quid nomine gratiæ ſufficientis.

I.

Quid ſit ſecundum Thomiſtas habere gratiam præſentem.

Celeberrimus inter ipſos Nazarius ſuper ea re loquitur in hunc modum. 1. p. q. 23. art. 3. Conc. 4.

Sufficientia divini auxilii non in eo poſita eſt, ut " qui habet auxilium ſufficiens, actu habeat omnia " dona & intrinſeca auxilia ad eam piam actionem, " ad quam dirigitur auxilium neceſſaria: ſed ſatis eſt " ut habeat illa non quidem in ſua poteſtate, ſed " ex divina largitate, & bonitate veluti aſſiſtente *parata* & *præſentanea* adeo, ut ſi divinæ gratiæ non " defuerit, ſit illa omnia opportuno tẽpore recepturus. "

Idem eſt igitur Nazario quantum ad præſens nego-

tium *dari* & *offerri* auxilium proximè ſufficiens. Illud enim cenſetur *collatum*, quod licet actu non *receperim*, fuit nihilominus ita ſincerè præparatum oblatumque, ut nihil ex parte Dei defuerit quominus illud haberem. Perinde ſiquidem peccator inexcuſabilis eſt, ſive gratiæ proximè ſufficienti reſtiterit, ſive gratiam proximè ſufficientem noluerit, aut certè neglexerit habere. Neque enim dici poteſt tali gratia fuiſſe *privatus*, cum penes eũ fuerit ut illã obtineret.

II.

Quid intelligant Thomiſtæ nomine gratiæ ſufficientis.

Illos potiſſimum Thomiſtas adducam qui præ cæteris floruere in famoſâ diſputatione de auxiliis.

„ *Didacus Alvarez.* Per auxilium gratiæ ſufficien-„ tis habet voluntas *potentiam proximam* & *facul-„ tatem expeditam* qua poſſit converti. l. 4. n. 1.

„ Illud auxilium ita eſt ſufficiens, *ut nullum aliud „ requiratur* ad hoc ut homo dicatur poſſe benè „ agere & ſalvari. Idem diſp. 79. num. 3.

„ Antequam accedat motio efficax, eſt in cauſa ſe-„ cunda *potentia proxima & expedita* ad operandũ, „ quia nihil requiritur ex parte ipſius potẽtię quo in „ actu primo conſtituatur ad actualiter operandum „ ſeu volendum : quomodo liberum arbitrium, po-„ ſitis omnibus requiſitis ad operandum poteſt *po-„ tentiâ proximâ & expeditâ* operari & non opera-„ ri, velle & non velle. Idem diſp. 17.

„ *Petrus Ledeſma.* Certiſſimum eſt quod auxil-„ lium ſufficiens verè & propriè & in omni rigo-„ re eſt ſufficiens : etiamſi auxilium prædetermi-„ nans voluntatem ſit neceſſarium ad ipſam operationem. *Addit hanc eſſe communem ſententiam omnium diſcipulorum ſancti Thomæ.* Tr. de auxiliis. art. 14.

„ *Nazarius.* Auxilium itaque ſufficiens *totam* ha-„ bet & confert in ordine ad operationem ſufficientiam. 1. p. q. 23. art. 3. controv. 2.

His tribus ſufficiet addere unum hac noſtra ætate florentiſſimum Thomiſtam.

Gonet. Nomine auxilii ſufficientis intelligitur « id omne quod dat potentiæ totum *complementum* ſeu *ſufficientiam* ex parte actus primi. *Quam* « *definitionem ter repetit eo loco & addit :* utramque gratiam efficacem & ſufficientem Schola Thomiſtica conſtanter docuit & prædicavit, ac indefeſſo labore ab ortu ſuo per quatuor ſæcula « non minus fortiter ac generosè pro ſufficienti « quam pro effiaci gratiâ decertavit. «

Decertat Schola Thomiſtica pro gratiâ ſuffi- « cienti, cujus proprium eſt dare voluntati, *totam ſufficientiam*, *totum* potentiæ *complementum*, *potentiam proximam* & *expeditam.*

Noritius contra ubique aſſerit *privationem potentiæ proximè* expeditæ ad perſeverandum cauſam eſſe cur homo etiam juſtificatus incidat in peccata actualia propter quæ damnatur.

Videant æquiſſimi Cenſores utrùm Noritius admiſerit, vel in juſto qui tentatione urgetur, gratiam ſufficientem Thomiſtico ſenſu intellectam.

Equidem haud diſſimulo unum alterumve Thomiſtam reperiri qui aliter explicent gratiam ſufficientem, ac dicant per eam quidem præcisè ſumptam non tribui poteſtatem proximam complectam & immediatam vincendæ tentationis, verùm ii ſtatim addunt tali gratiæ ſi non reſiſtatur ſecuturam infallibiliter eſſe gratiam efficacem, eóque ſenſu priorem illam ſufficientem dici, *quod ponat in poteſtate hominis habere auxilium efficax*, & idcirco, inquiunt, *illi attribui debet quod non convertatur, neque moveatur à Deo efficaciter quia non caret hac motione divinâ efficaci, niſi quia vel reſiſtit liberè, vel apponit obicem, aut nihil omnino curat de illâ ſe divertendo, aut quia non attendit divinæ excitationi & vocationi, & ad quid movetur & excitatur ; quia alias non di-*

ceretur eſſe poſſibile homini converti ad Deum vel pœnitere, ſi neque haberet pramotionem Dei efficacem, nec poteſtatem aut viam ullam habendi eam. Ita Cumel dux opinionis hujus tom. 3. diſp. 4. ad 1. p. & 1. 2. ſect. 2. conc. 5. pag. 68. Falſum eſt igitur etiam ſecundum hos alterius opinionis Thomiſtas, falſum, inquam, 1. hominem, multò magis hominem juſtum privari à Deo gratia efficaci; falſum 2. privari propter peccatum originale: ſiquidem defectum hunc gratiæ expreſsè referunt ad culpam perſonalem, adeo ut prædicent mandata fore impoſſibilia, nullumque proinde peccatum ejus qui citra culpam perſonalem careret gratiâ efficaci. Certè Dominicus Soto cujus verba referemus infrà, defectum hunc gratiæ neceſſariæ qua privari homo dicatur propter peccatum Adæ, hæreſim putat.

Unde manifeſtè apparet quantum aberret Noriſius à quavis Thomiſticâ notione gratiæ ſive proximè ſive remotè ſufficientis.

III.

Thomiſtarum judicium de duplici capite Noritiani dogmatis.

Noritianum dogma reduximus ad ſumma duo capita.

1. Quemlibet peccantem licet juſtum privari à Deo gratiâ proximè ſufficiente.

2. Privari in pœnam peccati originalis.

Utrumque damnatur à Thomiſtis velut hæreticum.

Refero illorum verba.

„ *Dominicus Bannes.* Deus omnibus hominibus „ dat ſupernaturale auxilium ſufficiens ad ſalu„ tem omnium. *Hæc concluſio certa eſt ſecundùm* „ *fidem*... Nemo peccat propterea quod non facit „ quod facere non poteſt, ut *certum eſt ſecundum* „ *fidem.* 1.p.q.23.art.3.

Ledeſma. Poſtquam dixit hæreticos gratiam ſufficien

ſufficientem ab efficaci diſtinctam rejicere, addit " Quæ quidem ſententia falſa eſt & hæretica.... " Dico certum eſſe *ſecundum fidem* quod detur hominibus auxilium ſufficiens. *Certum eſt ſecundum fidem* quod non eſt peccatum, neque tribuitur culpæ, illud quod non eſt in hominis libera poteſtate. At verò ſi Deus non conferret auxilium ſufficiens homini, non eſſet in ejus poteſtate. Tract. de Auxil. quæſt. unica. art. 15. & 16. "

Bartholom. Medina. Quilibet homo viator poteſt ad Deum converti : & oppoſitum aſſerere eſt *temerarium* & *hæreticum.* Ex quo evidenter ſequitur quod quilibet homo in hac vita habet auxilium gratiæ neceſſarium, & ſufficiens ad ſalutem, 1. 2. q. 109. art. 10. quæſt. ſive conc. 1. "

Cabezudo. Fides eſt, ita ut oppoſitum ſit hæreſis manifeſta quod omnis homo, dum eſt in via, & compos rationis, poteſt ſimpliciter loquendo pœnitentiam agere de peccatis ; atque adeo quod dentur omnibus auxilia ſufficientia, 3. part. quæſt. 86. in expoſit. artic. "

Alvarez. Nullus Catholicus dubitare poteſt de illa diviſione auxilii in ſufficiens & efficax. De auxil. l. 8. diſp. 7. "

Maſcarenhas. Eſt inter Catholicos Doctores communis & in *fide certa.* Tract. de auxil. p. 6.

Egregiè verò Dominicus Sotus deſcripſit ac notavit doctrinam Noritii his verbis. Aiunt vel " *propter peccatum Adæ*, vel propter alia cumulatiora noſtra, ita nos à Deo cupiditatibus noſtris eſſe addictos, ita in reprobum ſenſum, & in deſideria noſtra traditos, ut non poſſimus errores vitare, & cupiditatibus noſtris reſiſtere. Quod ſi intelligerent nos nequire ſine auxilio Dei & favore, nihil aliud profiterentur, quàm fidem catholicam : ſed quia *ſentiunt ita*

„ *eſſe nos à Numine deſertos, ut neceſſitate ſuccum-*
„ *bamus erroribus & pravis affectibus ; hoc eſt quod*
„ *nos perſiſtimus ſacris eloquiis expugnare.* L. de
„ N. & gr. c. 17.

Alvarez verò loquens de auxilio juſtis conceſſo
„ ut perſeverare poſſint ait. Nec etiam Deus ho-
„ minē juſtum deſerit ſubtrahendo ab eo auxilium
„ ſufficiens quo poſſit operari bonum,& perſeverare
„ uſque in finem. Quod ſi interdum non dat ei au-
„ xilium efficax quo actu bonum operetur & perſe-
„ veret uſque in finem , non eſt Deo , ſed homini
„ imputandum; nam per auxilium ſufficiens poterat
„ perſeverare (loquitur uti jam vidimus,de *poten-*
„ *tiâ proxima & proximè expedita*) & ſua culpa
„ perſeverare noluit.

Ex his tot tantorumque virorum teſtimoniis apparet,Noritii doctrinā haud poſſe defendi ſalvâ fide.

§. IV.

Utrum Noritii doctrina differat à doctrina Janſenii.

QUinque propoſuimus articulos Noritii.De tribus primis ac rurſus de quinto dubitari minimè poteſt quin ei communes ſint cum Janſenio. Nempe totus eſt Iprenſis in aſſerendo 1. Impotentiam obſervandæ legis non excuſare tranſgreſſorem à peccato. 2. In tali impotentiâ reperiri etiam Juſtos urgente præcepto. 3. Hinc contingere ut perſeverare non poſſint in accepta Juſtitiâ. 5. non poſſe verò,quia reprobati ſunt ob ſolum originale peccatum,quantumlibet jam remiſſum.

Verùm,inquies,non admittit Janſenius potentiam *remotam* in eo qui caret *proximâ* ad perſeverandum: imo expreſsè negat in Infidelibus eſſe potentiam vel remotam legis divinæ obſervandæ.

Hic eſt quartus Noritii articulus quem ad omnem Janſeniſmi ſuſpicionem amovendam ſufficere

putavit. Oſtendo verò nihil re ipſa, etiam in hac parte, Noritium differre à Janſenio.

I.

Vtrum à Janſenio differat Noritius in eo quod dicit de potentia remotâ.

Admittit Noritius in nonnullis eorum qui legem tranſgrediuntur gratias debiles & incongruas: admittit implendæ legis potentiam remotam. Neutrum negavit Janſenius, imo docuit utrumque. Adeo Noritius & Iprenſis conſentiunt inter ſe, alter altero nec plus dicit nec minus. 1. Non negat Janſenius gratias debiles & incongruas dummodo non dent poteſtatem proximam vel agendi vel orandi. Vid. l. 2. de gr. ſal. c. 27: *Hac igitur gratia,* (inquit,) *quamvis nullomodo ſufficiat ut homo Dei mandatum operetur ut Deum ſuper omnia diligat, ut ſperet, ut oret, ut credat; ad hoc tamen facit aliquid ut iſtarum vel alterius cujuſdam cœleſtis rei liberas quaſdam non voluntates, ſed velleitates excitet.*

2. Cum dicit Janſenius deeſſe Juſtis poteſtatem agendi, aut orandi, loquitur de ſola poteſtate proximâ, admittit verò aliam quamlibet Noritianis principiis conformem; audiamus Janſenium.

Libro tertio de Gratiâ Salvatoris, capiti decimo
» quinto titulum hunc imponit: *Multis modis præ-*
» *cepta dicuntur poſſibilia, etiam ſine gratia ſuffi-*
» *ciente. Quanam impoſſibilitas excuſet peccantem.*
Statimque exorſus à multiplicitate potentiæ remotiſſimæ, remotæ, propioris & proximæ: Remotiſſimè,
» (inquit) homo dicitur poſſe aliquid per ſolam li-
» beri arbitrii flexibilem facultatem ad bonum &
» & malum, hæc poteſtas in naturâ nudâ liberi ar-
» bitrii conſtituta eſt... Secundò paulò propinquiùs
» dicimur poſſe benè vivere, omnibuſque tentatio-
» nibus reſiſtere & peccata cavere per fidem, quam-
» vis dilectione Dei, & actuali Dei adjutorio... ca-

„ reamus. Tertiò dicimur multò pleniùs propinquiuſque poſſe per charitatem, quia ut dicere ſolet (Auguſtinus) *incipit homo amore jam poſſe, quod timore non poterat.* Ubi librata circumſpectione dicit, *incipit amore jam poſſe.* Quia voluntas illa bona quæ per charitatem datur, initio infirma eſt & multa Dei magna præcepta implere non poteſt; ut quid enim petunt (Juſti) ſi jam ſibi in primâ juſtificatione datas vires accepere: Sexcenties docuit Auguſtinus multos (Juſtos) etiam volentes bene vivere, mandata tamen quædam implere non poſſe. Quartò itaque completiſſimè dicimur poſſe, quando Sancti Spiritus inſpiratione ſic voluntas præparatur ut non nudè poſſit, ſed etiam velit...

„ Sed quomodo, inquies, non ſunt excuſati, ſive fideles, ſive infideles, qui illo poſtremo ſufficienti adjutorio carent: quando quidem ſine illo præceptum abſolutè implere non poſſunt? nam reliqui tres poſſibilitatis modi imperfecti ſunt, quibus præſentibus, ſi poſtremus qui per actualem gratiam datur, non affuerit, non magis hic & nunc & abſolutè fieri poſſe præceptum dici poteſt, quam ſi ſine alis volari poſſe diceretur. Quomodo igitur excuſat tanta implendi impotentia?

En ſolemnis objectio quam perinde Noritius patitur ac Janſenius. Audiamus reſponſum.

„ Reſpondent aliqui, pergit Ipenſis, peccare eos qui adjutorio ſufficientis gratiæ carent; quia eorum impotentia non eſt antecedens.

„ Atqui hæc ipſa Noritii verba ſunt deſumpta ex pagina 90. Quamvis enim, inquit Noritius, careant auxilio proximè ſufficienti, habent tamen auxilia quædam remota: unde non patiuntur antecedentem neceſſitatem peccandi. Et infra, pag. 92. In quo autem conſiſtant ejuſmodi auxilia remota, non ita facile explicatur.

At ſaltem explicare debuerat, id quod in quæſtione verſatur quomodo auxilia remota neceſſitatem antecedentem tollant ei cui negatur gratia proximè ſufficiens. Magis ingenuè Janſenius. Eorum, inquit, impotentia non eſt antecedens.... Non enim ideo peccant quia non poſſunt abſtinere à peccato, quamvis reverà non poſſint, ſed idcirco peccant, quia non volunt. Tum addit: ſi hòc alicui ſufficiat, nihil eſt præterea ſatagendum. Pleniùs tamen fortaſſis alio modo quæſtioni ſatisfieri poteſt. Itaque reſpondetur, duplicem eſſe faciendi præcepti impotentiam, una eſt ex deffectû alicujus quod non poteſt quantumlibet magna voluntate ſuppleri... Talis eſt impotentia illius qui caret breviario ad horas. Altera impotentia eſt quæ ex defectu ipſius volitionis ſive voluntatis oritur, quæ ſi adeſſet quanta eſſe deberet, præceptum facillimè impleretur. Hæc impotentia nullo modo excuſat eum qui non implet quod præcipitur. Poſſet enim implere ſi vellet. ""

Unde colligit in hunc modum Iprenſis. Conſtat peccata à non habentibus gratiam ſufficientem poſſe vitari, non quidem illa proxima poteſtate, quæ dat ſimul velle quod poſſumus, & poſſe quod volumus; nec illa quæ poteſtatem voluntatis velut in æquilibrio ad utrumque ponit; ſed illa remotiore poteſtate qua poſſunt ea vitare, ſi voluerint. ""

En ut Janſenius admittit in peccatore remotam potentiam vitandi peccata, cum quâ egregiè conciliat quinque ſuarum Propoſitionum hæreſes. Satis eſt enim peccatorem hunc privari gratiâ proximè ſufficiente, ut verè ac propriè intelligantur mandata Dei eſſe ipſi impoſſibilia, incumbere neceſſitatem peccandi, mortem Chriſti pro ſalute duntaxat electorum fuiſſe oblatam, cæterique id genus errores qui fidelium animos, in quæ libi-

dinum ac deſperationis præcipitia dejiciant; utinam in tranſalpinis regionibus minùs experiremur.

Jam credo apparet cur Janſenii libro ac doctrinæ tam ſedulò parcat Noritius. Vidi enim ab eo commemorari ſæpe *Janſeniana diſſidia*, nunquam damnationem Janſenii. *Diſſidia* appellat, quaſi altercationes iſtæ fuerint privatorum, non totius Eccleſiæ conſpiratio adverſus hæreſim. Quid quod Janſenii accuſatores *Annatum*, *Adamum*, *Morainium*, *Campſium* ait cum *Sancti Auguſtini authoritate nimium ſe premi ſerò jam tandem ſentirent, ne in eo campo hoſtibus* (quibus niſi Janſenio & ſuis?) *qui Auguſtini nomen ubique inclamabant, cedere viderentur, Auguſtino ſe conatos eſſe ſubducere.* Quo quid potuerit dici magnificentius ad Janſeniani dogmatis commendationem ac triumphum, ego quidem certè non video.

§. V.

Quid in præſenti cauſa expedire videatur tum fidelibus, tum ipſi Noritio.

FAlli tamen poſſumus opinione noſtrâ; inque Noritii libro videre errores qui re ipſa non ſint. Verùm quia tam multi, & ubique gentium in Galliâ, Belgio, Germaniâ, Italiâ, omnis generis atque ordinis Doctores ſive ſæculares ſive Religioſi, Epiſcopi, ipſique adeo purpurati Patres, idem ſcandalum paſſi ſunt in hujus libri doctrinâ; profectò debet iis à Noritio, non dicam ſatisfieri, ſed conſuli: locum enim, ſicubi uſpiam, hîc maximè habet admonitio Petri: *Parati ſemper ad ſatisfactionem omni poſcenti vos rationem de ea quæ in vobis eſt ſpe.* 1. Pet. 3. v. 15.

Viſus eſt Noritius in Janſenii errores impingere, atque ita cenſent viri innumeri doctrinâ & virtute incliti. Volo fuiſſe deceptos: quam facile

& glorioſum Noritio iniquam hanc, ſi ita placet, at communem tamen ſuſpicionem depellere.

1. Primùm omnium declaret damnari à ſe quinque Propoſitiones in ſenſu à Janſenio intento, qui declaratur eſſe *ſenſus obvius*, juretque in Alexandrinæ formulæ verba *obvio ſenſu accepta*, prout accipi debere declaravit pariter his ipſis diebus ſanctiſſimus Papa Innocentius XII. damnata *quavis diſtinctione*.

Deinde manifeſtum ipſe Noritius afferat diſcrimen ſui dogmatis à dogmate Janſenii, claréque demonſtret. *Juſtum præcepto urgente privari gratiâ proximè ſufficienti ac potentiâ proximè expedita ad illud ſervandum; privari verò in pœnam peccati originalis quantumlibet jam remiſſi*; nec propterea *conanti ſibi ſecundum præſentes quas habet vires præceptum illud eſſe impoſſibile, nec deeſſe gratiam qua poſſibile fiat, nec ſuam tranſgreſſionem à coactione tantùm liberam eſſe, ſed etiam à neceſſitate, proque ipſius ſalute paſſum eſſe Chriſtum, tametſi in pœna peccati originalis quantumlibet jam remiſſi noluerit ipſi præparare auxilium, per quod perſeverare poſſet in accepta juſtitiâ.*

Iſta conciliet Noritius ſi poteſt; ſi non poteſt, revocet ac damnet, non verò amplius recurrat ad *potentiam remotam*, quæ ut vidimus, nec latet Janſenium, nec ſalvat: ſed exponat quomodo ſincerè & plenè voluerit Deus ſalvare illum hominem, cui in pœnam peccati originalis jam remiſſi abſtulit auxilium ſine quo ſalvari non poterat. Quod ſi id contradictionis plenum eſt, non erubeſcat Noritius mutare ſententiam, & cum totâ Eccleſiâ profiteri, reprobo, qui baptiſmi gratiâ excidit, nihil ex parte Dei defuiſſe quominus illam ſervare poſſet.

3. Demum ſiquidem Thomiſticæ ſcholæ clypeo ſe protectum putat, ipſis Thomiſtarum verbis confiteatur, *fide certum eſſe quod præcepto urgente juſtus*

nemo privetur ſufficiente gratiâ quæ det ipſi potentiam proximam & proximè expeditam ad obſervandum mandatum.

Non videtur ea parte diſſimulari poſſe ampliùs, poſtquam Noritius ipſe expetiit librum ſuum recognoſci, deſignatis ad hoc unum opus ab Apoſtolica Sede quinque Cenſoribus. Sive enim liber approbetur expreſsè, ſive toleretur tantùm, doctrina quam oculis veſtris ſubjicimus, Apoſtolicæ Sedis judicio dicetur approbata, certè negari non poterit à Cenſuris liberata. Hinc illam qui nequeunt à Janſenianâ diſcernere, tot tantique viri non ceſſabunt obtrudere illud Apoſtoli Gal. 2. *Si enim quæ deſtruxi iterum hæc ædifico, prævaricatorem me conſtituo.*

Summè itaque neceſſarium eſt Æquiſſimos Cenſores in præſenti negotio attendere ad ea quæ Noritius adduxit Cœleſtini 1. verba pag. 4. *Timeo,* inquit ſummus ille & doctiſſimus Pontifex, *ne connivere ſit hoc tacere : ne magis ipſi loquantur, qui permittunt illis taliter loqui. In talibus cauſis non caret ſuſpicione taciturnitas, quia occurreret veritas, ſi falſitas diſpliceret, meritò namque cauſa nos reſpicit, ſi cum ſilentio faveamus errori. Ergo corripiantur hujuſmodi. Non ſit illis liberum habere pro voluntate ſermonem.* Ep. ad Gall. Antiſtites.

951585